

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Quæso ad me mittas Catechismi, quem in Ecclesiâ tuâ exerces, exemplar, & si queas, sacræ confirmationis formam.

Præsentium Lator, pius senex, quis sit, ex literis Fabricii, licet pridem defuncti, & Bullingeri, recenter scriptis, abunde cognoscitis. Commendatus & mihi fuit à pientiss. memoriæ viro, D. Joachimo Vadiano, cum testimonio de singulari innocentia ejus, atque Abbatis Sant-Gallensis contra ipsum iniquis furoribus. Piè facietis, si qua ærumnosum senem queatis juvare.

XXV.

S Dudum, mi Marpachi, respondissem tuis, nisi per eas, quas fratrum nomine, eodem tempore ad te dederam, responsum esse existimassem, tuasque potius expectassem, quibus de Ecclesiæ vestræ statu me faceres certiolem. Neque enim vulgariter ea me vexat sollicitudo. Etsi in spe sim, eventum non omnino deploratum per DEUM concessum iri. Ac forte occasionem Comitum Augustana dabant Magistratui vestro, super his mature etiam cum aliis Imperii ordinibus deliberandi, iis maxime, qui eandem nobiscum religionem profitentur. Nec defuturos puto, qui ultro etiam animos sint vestris addituri, sic enim mihi aliunde significatum est: quod tibi in aurem. Deum interea rogamus, ut spiritum principalem, ipse largiatur, per quem spreto mundi furoribus citra claudicationem ipsum intrepidè sequantur, qui nomen ejus profitentur. Cupio autem vehementer, ut per hunc præsentium latorem ad me copiosè scribas, eumque ut habeas comendatum, quo uxori cohabitare queat, suæ carni, tuâ & reliquorum operâ adjutus. Est enim vir certè bonus & simplex, & in labore sedulus, modo eo frui posset, mercis paratæ distractione commodâ. Consilium suum ipse coram explicabit. De Symmista vestro valde dolet, quod scribis, antiquum obtinere in fovenda controversia & suggillando pio instituto vestro. Id enim ne faceret, & coram & per literas seridè monuimus, neque id deinceps etiam facere cessabimus. Precaturi interea Dominum Jesum, totius suavitatis, charitatisque exemplar, pacem ut ipse, & *ὁμοφροσύνην* sanctam, Ecclesiæque suæ necessariam, misericorditer largiatur. Placet autem vehementer mihi vestrum consilium, in dissimulanda & superanda per patientiam importunitate, victoriam certam tandem sine pulvere nedum sanguine gloriosamque reportaturi. Eam ergo ut methodum retineatis, constanter vos iterum iterumque exhortor. Novi apud nos nihil est, nisi quod novum Episcopum elegerunt tandem Canonici Basil. s. Friburgenses potius, virum per se quidem non pessimum, hoc est religioni hætenus quidem non infectum, quod venationes & convivia curarit potius, ut de eo spes sit, non fore

molestum suis pietatis nomine, quam non pauci profitentur, nisi cathedra pestilentiae in lapum convertatur. Apud Insubres subditos Helvetiorum 12. ordinibus, praestantes aliquot familiae Christum amplexae, plurimum negotii fecerunt quatuor civitatibus, Bern. Tigur. Basil. & Schaphus. eò quod ab aliis septem premantur (quiescunt autem medii Glarani) & proinde etiam civitatum, quas dixi, defensionem implorant; & praestarent illae quidem promptè, nisi suffragiorum numero in comitiis essent inferiores, & reliqui obstinatissimè suum institutum contra pios urgerent. Tentantur tamen omnia, ut conservari possint. Rogant illi omnes Ecclesias, ut precibus juventur. Plurimum in illis me consolatur resignatio in Domini voluntatem, quia nec civitatum auxilia aliter requirunt, quam si cum pace bona praestari possint. Sin verò vel motus bellici, vel fratrum dissolutio inde impendat, petunt causam Domino totam commendari, pro qua & exilia & quamlibet afflictionem sufferre parati sint. Et tanto quidem debent bonis omnibus esse commendatores. Bene vale vir clarissime, mihi plurimum observande; Cum D. Lud. Rabo, Theobaldo Nigrino, Lenglino, Huberto, & reliquis Symmistis, quibus salutem dices meis verbis officiosiss. Basil. 21. Novembr. Anno 1554.

Salutant te reverenter mei Symmista omnes.

Tuus ex animo

Simon Sulcerus.

XXVI.

S Retulerat nuper Christmannus, literas ad me tuas cuidam tabellario traditas, Mompelgardum profecturo, verum eas ad me non delatas esse, & miror & doleo, & proinde tibi notum facio, quo animadvertas, fraude ne an incuriam intercederint? Cupio autem frequenter à te, mi Marpachi ornatissime, suavissimis tuis literis resciri & recreari. Ac ne inanes profus ad te dem, libet historiam de Insubribus nostris Locarnensibus ob Evangelium Christi afflictis paucis perscribere. Locus is est 12. ordinibus Helvetiorum subditus, in quo jam ab annis aliquot emersere aliquot viri, pietate & doctrinam praestantes, & Ludimoderator idem oppidi, qui doctrinam puriorem privatim profiteri, & spargere caeperunt. Idque tanto successu, ut plures subinde religioni purae accederent, & sacra Papistica palam aversarentur; Res ea ad Helvetios delata, non levem controversiam peperit inter ordines, aliis paenam in illos decernentibus, aliis verò adprobantibus, sicut par erat, optimam causam, ut ad arma etiam quidam spectarent, à Pontifice nimirum stan-

tos,